



## II.

## Ad §. VI.

In hoc diplomate occurrit vox *Nein*, i. e. nullus, *keiner*. Originem huius vocis WACHTER, v. *keiner*, putat ductam ex *Alle-mann.* et *Franc. niheiner*. A quod KERONEM est *ni*, non, *niheiner*, *nohheiner*, nullus, *nohheinaz*, *nohheiniu*, nulla. In antiquo libro de iure feodali, quem in Archiuo Curiae Gorlicensis nuper mihi diu contemplari contigit, sic legitur pag. 2.

*die ne habin ne hein lenrecht.*

et semper ubicunque ita occurrit.

Titulus huius libri, quem exeunte saeculo XIII. conscriptum esse puto, hic est:

*Diz ist ein buch von dem lenrechte. siver cluch am lenrehte welke wesen. der sol diz buch dicke vor lesen.*

Illud notandum est, antiquissimis temporibus particulam *ni*, non, praefixam esse verbis, ut ap. OTFRID in *Praef. ad Ludovic. Reg. v. 24.*

*Giunisso thaz nihilu thih —*


*Certe hoc non celo te.*

et in L. III. *Euangelior. Cap. I.*

*Nirih sunta — ne vindica peccata.*

Ita etiam apud Anglos suffixa est particula *not* in *I cannot*.

Vox *niheiner* postea mutata est in *nein* ut in nostro diplomate, et denique *kein*, ex quo nostrum *kein* et *Belgicum geen* ortum est. Conuenit *Danic.* et *Suec. Ingen*, quod item ut *Belgic. geen* et *Germ. keiner* deriuandum est ex *einer*, *en*, vnus. Vnde vero in *Lingua Dan.* et *Suec.* prior syllaba *in* vel *ing* orta sit, nescio, nec audeo illam ab *ikke*, non, deriuare. Angli faciunt *none*, ex *not* et *one*.



AD-